



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 9. Ineptè Appendix hic objicit illud: facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

§. IX.

Ineptè Appendix hîc objicit illud: facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.

SEd, inquit, ubi esset illud, facienti quod in se est, Deus nunquam deest. Egregia enimverò probatio & digna ob quam ista non tam nostræ quàm Patrum Doctrinæ nota inuratur. Quasi amplius peccator facere nequeat, quàm paucarum linearum orationem proferre. Aut plus eum facere non oporteat qui temerario ausu vitam gratiæ in se peremit, Dei templum, quod ipse est, violavit, *Filium Dei conculcavit, & sanguinem testamenti pollutum duxit, in quo sanctificatus est; Heb. c. 10. & spiritui gratiæ contumeliam fecit; vers. 29.* propter quod totius æternitatis dignus est supplicio. Deindè qui jam converti velle incipit, non statim, ut ostensum est, tam perfectè id vult, ut inveteratos omnes peccati affectus à se excludat: ac per hoc, licet imperfectâ illâ voluntate Deum oret, quomodo tamen facit quod in se est, qui nondum pravos suos affectus deponit? Propter hoc orare quidem debet & non deficere, spei tamen firmitas in Dei præcipuè misericordia statuenda est, qui

Ephes. cap. 3. vers. 20. qui nos exaudit etiam *superabundanter* quam *petimus*, aut digni sumus.

Facere autem quod in se est, ut notat *Comm. in S. Thomas, ex Deo est movente corda hominum ad bonum.* Atque ab illo fit qui facit quod in sua est potestate secundum quod est motus à Deo. Facit, inquam, operando quod potest, & petendo quod non potest; huic rectè dicitur Deus non defuturus, sed dum petit quomodo & quantum petendum est: ut enim nunc alia omittam, petendum est secundum Christi monitum instanter, & donec exauditi fuerimus perseveranter.

C A P U T V I I.

Vtrum quando dicitur conversionem peccatoris esse tam difficilem, hoc sit dumtaxat intelligendum de conversione voluntatis ejus, quando est obstinatus?

NUm. 239. concedit Appendix conversionem peccatoris qui obstinatus est, esse difficilem, secus non obstinati.